AD QVODLIBETARIAM QVAESTIO MEDICA MATVTINIS EXAGITANDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM PARIS. DIE IOVIS XXII. FEBRVARII

M. IOANNE RIOLANO DOCTORE MEDICO MODERATORE PRVDENTISSIMO.

Poteſtne homo nullo aſſumpto alimento vltra 7. dies viuere?



VAMVIS Natura nullo vnquam Doctore vſa ſit, tamen veluti docta facit omnia in pondere, numero, & menſura: Cœleſtem enim mundum diſtinxit à ſublunari vt formam à materia, efficiens à patiente: vt cœli miniſterio ex quatuor elementis non tantum ſecundum qualitates, ſed etiam ſecundum formas permiſtis, potentia tamen non actu in miſto remanentibus, generaret omnia: eáque propter hominem.




VI inanimis vtitur vt medicamentis non vt alimentis: animatis verò vt alimentis & medicamentis: Alimentis vt indeſinentem iacturam humidi primigenij reparet, cuius præſentia vita, eiuſdem priuatione mors definitur. Viuunt autem diutius, non quibus illius plus ineſt, ſed quibus craſsius & tenacius. Hinc plantæ viuaciores animalibus, & eadem cauſa terreſtria animalia aquaticis permanentiora: mares fœmellis. Medicamentis verò vtitur vt eterogenea quæ coctione multiplici calor ſecreuit, foràs exigat, catharticis per aluum, diureticis per veſicam, hydroticis per cutem, nullum enim alimentum tam ſimile quod non habeat aliquid diſſimile; Hoc grauat naturam niſi vacuetur, eandem illud conſeruat ſi aſsimiletur.



SSIMILATIONEM idcirco præcedit duplex coctio; prima quod ſiccius eſt ſeparatur à ſecretrice (prima & præcipua inter naturales facultates) & in aluum vt in ſentinam ablegatur, in quo permanens vitalis caloris veſtigium vermes longos, latos, rotundos, & aſcarides exſuſcitat: ſecunda fel, limus & vrina ſecernuntur à ſanguine, vt defœcatus tradatur aſsimilatrici, quæ ex eo ſudorem & ſordes elicit antequam actu nutriat, fiátque ex non viuente actu viuens: ſudorem inquam, non tantum inutile, ſed etiam præter naturam excrementum.



PIRITVS aſsiduè vaneſcentes reparat neceſſariò reſpirandus aër: Proindè reſpiratio naturali ſimilior quàm animali. Alibilis ſucci, qui reponitur in locum primigenij penuriam ſupplent potulenta & eſculenta, humida non ſicca, neque enim ſiccis, ſed humidis ſolis nutrimur.



ANGVIS eſt vltimum alimentum: fruſtrà enim videntur in ſcholas introducti quatuor humores ſecundarij. Solus concluditur venis, non quatuor humores: qui etiam corruptus nutrit: quandiu autem illius, qualiſcunque fuerit, modicum ſupereſt (quod, etiam non aſſumpto alimento, vel pituita dulcis, vel aër incraſſatus, vel colliquamentum abundè poſſunt ſuggerere, præſertim languido calori, corpore non admodum perſpirabili) tandiu vita perdurat.

Ergo homo nullo aſſumpto alimento vltra 7. dies poteſt viuere.

PROPONEBAT ANDREAS LE GROS PARISINVS. ANNO DOMINI 1601.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Hieronymus Taquet.
M. Simon Bazin.
M. Nicolaus Pietre.
M. Martinus Akakia Profeſſ. Regius.
M. Petrus Paulmier.
M. Petrus Ponçon Profeſſ. Regius.
M. Georgius Cornuti.
M. Ioannes le Moyne.
M. Petrus Laffilé Med. Reg.